



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Libri// Officialis// Sive Agendae S.// Ecclesiae Treverensis
Pars// Prior**

Jakob <III., Trier, Erzbischof>

Avgvstae Treverorum, 1574

VD16 A 766

Professio fidei Latinè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72595)

PROFESSIO FIDEI QVAM. IVXTA CONCILII

TRIDENTINI DISPOSITIONEM, OMNES
QVOS DEINCEPS CATHEDRALIBVS, ET SVPERIO-

ribus Ecclesijs præfici, vel quibus de illarum Dignitatibus, Canoni-
catibus & alijs quibuscunque beneficijs Ecclesiasticis, curam
animarum habentibus prouideri contingeret, facere ex decreto
atque mandato speciali Pij quarti Pontificis
Maximi, debent.



EGO. N. firma fide credo & profiteor omnia & singu-
la, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Ro-
mana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in vnum
DEVM, patrem omnipotentem, factorem cæli & ter-
ræ, visibilium, omnium & inuisibilium. Et in vnum
Dominum IESVM CHRISTVM filium Dei vnigenitum, &
ex patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumi-
ne, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantia-
lem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines &
propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spi-
ritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est, crucifixus etiam
pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est, & resurrexit ter-
tia die secundum scripturas, & ascendit in cælum, sedet ad dexteram
Patris, & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos,
cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum dominum & vi-
uificantem, qui ex patre filioque procedit, qui cum patre & filio si-
mul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per prophetas. Et
vnam sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor
vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurre-
ctionem mortuorum, & vitam venturi sæculi,

AMEN.

Apd-

Professio Fidei.

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasq; eiusdem obseruationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector.

Item sacram Scripturam, iuxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum patrum, accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta nouæ legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiã, Extremam vñtionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine Sacrilegio reiterari non posse.

Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemnè administratione, recipio & admitto.

Omnia & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo, verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro viujs & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem, vnà cum anima & diuinitate domini nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantùm specie, totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi.

Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari.

Similiter & Sanctos vnà cum Christo regnantes, venerandos atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmiter assero, Imagines Christi ac Deiparæ semper virginis, nec non aliorum sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem & venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo, maximè salutarem esse affirmo.

Sanctam

Professio Fidei

CCXLI.

Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem. & magistram agnosco. Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum principis, successori, ac IESU CHRISTI vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro.

Cætera item omnia à sacris Canonibus, & oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas & reiectas & anathematizatas, ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsentis sponte profiteor & veraciter teneo, eandem integram & immaculatam, usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adiuuante) retinere & confiteri, atque à meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri,

& predicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem

N. spondeo, voueo, ac iuro, sic me Deus adiuuet,
& hæc sancta Dei Euangelia

(..)

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. & cæt. Ioan. I.

x

BE